

Franciscus Ciapponi et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE

CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS

PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

*Diligentia in opere.*

*Temperantia in pretio.*

ROMAE, Via Sistina, 129

## Diversorium magnum, cui a Minerva nomen (Grand Hôtel de la Minerve)

ROMAE, Piazza della Minerva

Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum et commodis omnibus instructum.

**Sacellum pro Sacerdotibus ad sacra litanda**

LEOPULDUS SCOTTI, moderator.

## SUPELLEX AD RES DIVINAS

Commentarii Vox Urbis administratio recto tramite suppeditat suppellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad Vocis Urbis administratorem (Romam, Piazza del Gesù, 48) mittantur, res praecise indicando quas quisque sibi cupit.

Gratis sumptuum aestimatio fiet.

Gulielmus Gaudenzi

ROMAE

Tor Sanguigna, 2-3 - Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulchrarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatus possidet.

*Gallice atque Hispanice loquitur.*

Apud Comm. VOX URBIS administratorem (Romae, piazza del Gesù, 48) quæ sequuntur opera venundantur, per Commentarii ipsius paginas iam vulgata:

PETRI ANGELINI Lollius sive *De proiecta latinitate.* — Ven. lib. 1,50.

Fabulae selectae Ioannis La Fontaine latine conversae a FRANCISCO XAVERIO REUSS, C. SS. R. — Ven. lib. 1,25.

Saturio. Comoedia latinis versibus conscripta a IOANNE BAPTISTA FRANCESIA. (In ludis litterarum optima tironibus scenice agendi exercitatio). — Ven. lib. 1.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1.80; Sh. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

**ROMAM** - Piazza del Gesù, 48 - **ROMAM**



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN RUSSIA

apud

Gebethner et Wolf

IN CANADA

apud

Rakowskie Przedmieście, 15.

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

"Kronika Rodzinna"

Krakowskie Przedmieście, 6.

Montreal

1699, Rue Notre-Dame.

T. et G. Fratrum Parisi

ROMAE in ITALIA  
in foro Campi Martii, 6



Vincentius Rigacci  
officinae conditor  
an. 1789.

PONTIFICIA OFFICINA  
CANDELARUM AD SACRA

cui Summi Pontifices PIUS IX, LEO XIII, PIUS X  
honores addidere

Candela ad Sacra in Americas, in infimam Africam, apud Indos, Sinenses, Iaponios  
atque in Australiam exportantur.



Novarum earumque latissimarum aedium prospectum damus, quas Fr. Parisi ad Can-  
delas ad Sacra cereasque faculas ad noctem fabricandas recens in Urbe a solo excitarunt,  
et cuique visitandas praebent per tesseram gratuito apud ipsorum centrale officium, Romae  
in foro Campi Martii, 6, potentibus distribuendam.

Candalarum « tipus oeconomicus » perfectae exustionis venit lib. (francs) 225 cen-  
tenis Kgr. — Merx nullo iubentis impedio in omnes orbis portus mittitur, dummodo tre-  
centis saltem cerea Kgr. constet.

Colligationes ab officina Parisi adhibitae eae sunt, quae deserti traiectionem in camelorum  
dorso (viginti dierum iter) facillime perferant.

Commercium epistolare habetur Italica, Latina, Gallica, Anglica, Theutonica, Hispanica lingua.

Ann. XII.

ROMAE, Kal. Iuniis MDCCCCIX.

Num. VI.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Pontifici Urbani Collegii Foederatarum Civitatum Americae  
Septentrionalis quinquagenaria solennia.  
Latine scribendi ratio inclinata.  
De re litteraria apud Subalpinos. — Alfonso La Marmora.  
De optimis apud Hebreos artibus.  
In Leonem Delagrangium novo machinae adminicula aërios  
volatus tentare audentem.  
Agrestis cryptarum Romanarum musa.  
De nova pinacotheca Vaticana iterum.  
Commentationes philologicae.  
Colloquia latina.

Acta Pontificia. — Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X litterae  
encycliae venerabilibus fratribus Patriarchis, Primitibus, Episcopis  
aliisque locorum Ordinariis pacem et communionem cum Apostolica  
Sede habentibus.  
Diarium Vaticanicum. — Coram SSmo admissiones. - Pontificiae electio-  
nes. - Varia.  
Annales. — Turcarum res. - In Perside. - Regum colloquia.  
Publici per orbem coetus legibus ferendis.  
Per orbem.  
Aenigmata.  
Aegyptii. — Caroli M. Rosinii Comoedia. (Recognovit I. F.).

PONTIFICI URBANI COLLEGII  
FOEDERATARUM CIVITATUM AMERICAE SEPTENTRIONALIS  
QUINQUAGENARIA SOLLEMNIA

Dum populorum inferioris Americae ad aures redi-  
cta fertur adhuc vox sollemnium illorum, quae in Urbe  
ob quinquagesimum a Pontificio Collegio Pio Latino  
Americano condito annum expletum recens celebrata  
sunt, en festi alii dies, nec equidem minore expes-  
tatione et magnificentia parantur, ad illud pariter fau-  
stissimum revocandum tempus, quo Pius PP. IX  
apud Petri Sedem Civitatum etiam Foederatarum  
Americae Septentrionalis iuvenes coadunavit.

Paucis enim mensibus postquam concessit ut La-  
tiniae Americae collegium Romae institueretur, sanctus  
ille Pontifex per Sacram de Propaganda Fide Con-  
gregationem a Monialibus e Beatae Mariae Virginis  
Visitatione ipse aedes ad montis Quirinalis radices  
coempsit easque, pro ephebis suis instituendis, nordi-  
cae Americae episcopis tradidit, qui summa diligentia  
maximoque studio in id contenderunt, ut tanti agri  
seminarium quam uberrimos ederet fructus.

Qui quidem, collegii rectorum cura praecipue, a  
primo illo Gulielmo Mac Closkey, nunc Ludovicopo-  
litano episcopo, ad Thomam Kennedy, episcopum  
Adrianopolitanum, qui nunc rem, quam amplificate  
sede summaque industria moderatur, haud longam  
moram passi sunt. Septingenti enim quinquaginta et  
octo alumni sacerdotio aucti Evangelii sancti praee-  
cones inter gentes suas manarunt, quorum plures  
episcopali dignitate vel doctorum laurea sunt am-

plissime coherestati, Romaeque nomen et religione  
et doctrina apud suos evixerunt.

Non igitur dubium quin toto nos animo horum  
etiam solemnium participes esse velimus, nostraque  
prosperae semper fortunae omina tanto instituto,  
iam ab an. MDCCCLXXXIV Pontificii titulo decorato,  
adiungamus.

**Vox Urbis.**

LATINE SCRIBENDI RATIO INCLINATA

Quid hodie sit, quod in tanta scholarum frequen-  
tia, in tanta ingeniorum vi studiorumque contentione,  
vix tamen unus aut alter hodie reperiatur, qui ea  
latini sermonis integritate atque elegantia valeat, quae  
iampridem tantum effloreat, non una est eademque  
omnium opinio. Contendunt nonnulli principem caus-  
sam esse docendi rationem, qua hodie in grammati-  
cae scholis homines nostri utuntur, quum illa adeo  
inanium praeceptorum tricis plerumque implexa esse  
videatur, ut iam miseri adolescentes diutius gram-  
maticae ambagibus, quam olim labyrintho Cretensi  
Theseus, immorari cogantur, ideoque meliores aeta-  
tis annos non in ipsa Romanae linguae vi ac puriore  
stylo, sed in negotiosa canonum minutissimorum con-  
gerie, appendicibus, scholiis, observationibus tradu-  
cant: quarum diuturno et importuno tinnitu haud  
raro adolescentium aures et ingenia ita lassantur, ut  
ad ceteras disciplinas malint crudi adhuc et elin-  
gues festinare, quam in ipsis grammaticorum subsel-  
liis turpiter consenescere. Alii vero emunctioris for-

BIBLIOTeca  
AVATICA

BIBLI  
CANA

tasse naris caussam omnem huiusce damni esse dictant, magistrorum optimorum inopiam: nimurum hoc aevi scholarum quidem maximam esse frequentiam, magistros vero perquam paucissimos.

Quas quidem caussas quamquam ego et perspicuas et gravissimas esse non dubito, graviorem tamen aliam in medium affer, ex qua supremum latini sermonis exitium ac pestem proficiscatur. Ad deturpandam enim latinae linguae castitatem nihil magis valere contendo, quam corruptae depravataeque latinitatis libros frequenter evolvere. Horum prefecto familiaritate, horum commercio, ut in sole ambulantibus evenire solet, latina oratio paullatim immutari consuevit, ac decolorari. Hinc tam multos naevos, hinc tot maculas ac sermonis vitia contraximus. Quum enim omnis loquendi facultas necessario a nobis accipienda sit tum ex vocibus, tum ex ea dicendi forma, quam vel auribus, vel lectione percipimus; si legendi studio corruptas voces dicendique barbariem contraxeris, sermonem quoque impolitum ac semibarbarum conflari necesse erit. Quid vero defaecatum ac purum ex lutulentis scriptorum libris haurire possis, in quibus praeter latina aliquot vocabula, pleraque sub falsa perspicuitatis specie vel ex recentioribus linguis sine ulla necessitate in Latium temere sunt immissa? Et tamen tam multi hac nostra tempestate, quibus de caussis inquirere nolo, eo devenerunt, ut optimis quibusque auctoribus valere iussis, semilatinos istos autores, fuci plenos, nullius succi ac sanguinis sequantur, libentius per volent, iisque soleme quasi dicant sacramentum. Qua quidem re latino sermoni fatum perniciosius esse non video; praesertim vero si adolescentes, quorum mentibus mollioribus, quicquid ex lectione percipiunt, haerere solet tenacius, eo librorum lenocinio oblectari, atque iis diutius immorari consuecant. Quod enim in illis neque dictionis Tullianae robur, neque Caesaris, aut Livii perpolitam elocutionem, neque sententiarum riae vindices assertoresque erectae dignitatis estote. Vestrum sit studio ac labore efficere, ut exotiarum dictionum pulsa barbarie, suus Romanae linguae splendor et politioribus disciplinis dignitas restituatur.

P. LUCENSIS.

#### DE RE LITTERARIA APUD SUBALPINOS

##### Alfonso La Marmora.

Egregius exercitus magister idemque orator fuit Alfonso La Marmora, Taurinensis, nobilissima gente subalpina prognatus. Quinque esset in adolescente experecta indoles, militari munere fungens, prima armorum rudimenta posuit in bello quod Carolus Al-

et exoticus, ut non tam Romanam, quam Italicam, Germanicam, Anglicam dictionem oleat.

At fatalis huiusmodi librorum pestis ex eo mihi perniciosa esse videtur, quod homines eorum studio perinde ac Circaeum poeculo imbuti, a saniore iudicio tam longe abeant, ut limatissimos quosque scriptores parvipendant, ac purissimae latinitatis succum omnino fastidiant.

In qua quidem iudicandi ratione, aut mentis omnino impotes, aut iis aegris simillimi esse videntur, quibus sapore ex aegritudine corrupto, optimus quisque cibus fastidio solet esse ac stomacho. Desipit nimurum insanis fucosae latinitatis amatoribus nativa et inaffectata latinae linguae simplicitas. Desipit aequabile dicendi genus, gravitatem spirans et elegantiam. Desipit denique quicquid ampullis et sermonis granditate non resonat. Ac proinde Chaerilos suos et Codros semper manu et ore fovent, ubique praedicant; quin etiam si quid virium ad scribendum, aut dicendum habeant, tetricam eam sermonis corruptelam ita introducunt, ut magistros illos suos parum feliciter aequentur.

Quae quum ita sint, ecquis satis superque non intelligit supremum latino sermoni excidium ex depravatae huius latinitatis usu potissimum derivari? Utinam ipsi eadem poenarum severitate ex litteraria republica proscriberentur, qua expungi exterminari que solent ex catholico orbe nequissima Novatorum volumina. Utinam iidem tam obvio ac facili publicae lucis aditu intercluderent! Nisi enim huic malo tandem tempestive occurratur, labentibus in diem et ad interitum vergentibus litteris, si quae adhuc ex latina lingua superest umbra, brevi ex hac ipsa Urbe prorsus evanescet.

Opem itaque vestram, qui labori huic nostro socii haesistis optimi, implorat litterarum calamitas, Romanae linguae discrimen. Vos veteris earundem gloriae vindices assertoresque erectae dignitatis estote. Vestrum sit studio ac labore efficere, ut exotiarum dictionum pulsa barbarie, suus Romanae linguae splendor et politioribus disciplinis dignitas restituatur.

P. LUCENSIS.

bertus in Insubria pro Italorum libertate vindicanda, anno saeculi elapsi quingentesimo octavo et quadragesimo supra millesimum, adversus Austriacos intulit. Sed fractis ad Novariam Subalpinorum opibus, mira industria et praestantia, in ipso iuventutis flore, prae ceteris copiarum ductoribus, exercitum illi unice demandavit in spem regni restituit. Ipso duce, quum ad Chersonesum Tauricam Galli atque Angli pro Turcis in Russos de integritate Turcorum imperii pugnarent, Subalpini veluti auxiliarii summam-sibi gloriam apud Cerniam flumen fortiter pugnando compararunt. In patriam reversus atque inter oratores populares adductus haud inelegans exstisit atque ineptus. Ad omnia paratus vel ultima pro patriae in columitate tolerare patiebatur. Et quad vixit, quotiescumque respublica, vel ob hominum pravorum improbitatem vel ob rerum calamitatem, ad incitas redigi videbatur, semper ipse prudentia, fortitudine, animi honestate imperium tuebatur, atque ad meliorem spem erigebat. Haec opinio per animos non modo Subalpinorum pervadebat sed universae Italiae, fore ut expectationem sui concitasset, hanc sustineret aliquando et tueretur.

Dolendum sane quod difficillima regni tempora nactus, nonnulla, sanctitati religionis utique contraria sanctisque eius iuribus, patiens patranda permiserit. Scenae potius atque hominibus nunquam inserviit, atamen haud iustum semper fasque libero ore defendit.

In omnibus pro patria integritate bellis interfuit. Nec semper sine adversariorum invidia. Quum vero anno MDCCCLXVI apud Custosam infeliciter pugnatum est, maximas cum Borussis sociis iras exercuit. Tunc generosa quadam ira exardescens, rigidi censoris personam sustinens, in sociorum versutiam atque falaciā indignabundus invehitur. Et perditos eorum administri mores cuius ingenio omnia regebantur, acerbis perstrinxit; quo nomine, omnibus muneribus exactus, taedio vitam finivit.

Hunc a C. I. Caesare haud longe ponerem, vel ob ingenii celeritatem animique fortitudinem, vel ob ipsum finis utriusque genus. Namque si Caesar sociorum gladio confossum miserrime obiit, La Marmora aculeis suorum, quos saepe libero ore defendisset, sociorumque invidia exagitatus, rebus omnibus alegatis, imperantibus invisis, celerrime Florentiae cessit, anno aetatis sua quarto et septuagesimo.

Complura scriptis nunc de re militari, nunc de rebus quibus publice interfuit, et saepe quum apud oratores populares de militia ageretur, diserte, apte distincte loqui omnibus aduentibus consuevit. Ad rem faciunt quae scripsit Quintilianus *de Institutione orat.* XI, quum de Caesare referret: «Si C. Caesar foro tantum vacasset, non aliis ex nostris contra Ciceronem nominaretur, tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo

bellavit, appareat». Haec eadem, parce modo de torta, mutatis nominibus, forte essent dicenda, si Alfonsum hunc nostrum componere volueris cum excellenter ingenii viris, qui nobiscum rem publicam reixerunt, et vi animi et sollertia Italorum nomen gloria decoraverunt.

SUBALPINUS.

#### De optimis apud Hebraeos artibus

Hebraeorum artibus ea certe fuit aetas, quae non minor quam Graecis aetas Periclis, Romanis Augusti saeculum, Italicas recentioribus aetas Leonis PP. X effulsi et latissime coruscavit, Salomone rege illo celebrerrimo, cuius nomine sonat adhuc universus orbis terrarum. Et quidem talem decebat esse artem, quam ipse constituerat Deus potenti afflans halitu suea sapientiae Beseelel, ut singula Moysi praecipiens atque disponens. Verum institutioni divinae, quavis ex parte perfectae atque absolutae, humana in conficiundis fragilitas inserebatur; ideoque sicuti nemo repente fit pessimus, ita nemo repente optimus fieri poterat, et, velimus nolimus, nonnulli, fortasse plures, concedendi sunt gradus et passus, quibus Hebraeae artes a tenui in magnum, a magno in maximum proficiserentur.

Et modo, quis crederet? artis Hebraicæ monumenta superesse videntur, e quibus ipsa emergit adolescens indoles; et haec, quasi avis remigio alarum a vallis imo se attollens, aere liberiore potitur, donec in sublime spatians

udam  
Spernat humum fugiente penna.

De sepulchro Iosue loquor in Palaestinis reperto, cui nihil deest, uti monumentum illius temporis habeatur, omnia sunt, uti ex illo hauriamus quid illa in aetate Hebrei et sentirent in artibus, et possent. Fortasse nobis dabitur in Commentario nostro imaginem operis ostendere, concedentibus iis quibus concedendi protestas est; tunc autem, qui videbunt, ea nobiscum iterabunt, quae nos videntes e Biblicis transtulimus: «Populus (Israel medius inter Aegyptum et Assyrios) habitator umbilici terrae» (1). «Israel tertius Aegypto et Assyrio, benedictio in medio terrae, cui benedixit Dominus» (2). Nec Aegyptum, nec Assyrium opus saxa illa olen, neutrum ostendunt, et utriusque tamen aliquid preferre videntur, nihilominus ita commixtum, ut iam novum quid, miro temperatum artificio, demonstrent. Recensebit singula et iudicabit lectorum oculus ubi erit coram; nos modo maiora

(1) Ezechi., Prophet., c. 38. — Isaías, c. 19.

(2) Lib. Iosue, c. 24.

BIBLIOTeca  
AVATICA

BIBLI  
TICANA

vocant; unum tamen credimus adnotandum circa aedificii aetatem; scilicet post Moysis tempora extitum fuisse, decennium certe in obitu Iosue non excessisse. Nam « post haec (verba) mortuus est Iosue filius Nun, servus Domini, centum et viginti annorum; sepelieruntque eum (Filiis Israel) in finibus possessionis suae (ergo in sepulchro, quod sibi condiderat) in Thamnathare, quae est posita in monte Ephraim in septentrionali parte montis Gaas » (1). Constituta res publica Hebraea iam erat, populus habitabat in urbibus, quarum plerasque excitaverat, praeter eas, quas incolentibus decerpserat Chananaeis seu profigatis ita, ut in Mauritiam usque navigantes migrarent, cuius rei testimonium in Procopio est (2), sive immisericordi internectione deletis. Atqui res publicae, urbes, immo et oppida, sine artibus esse non possunt, sive necessariae sint, sive utiles, sive voluptas. Erant arma, opifia, artifices, emporia, naves, commercia; erat aemulatio quedam cum Phoenicibus, cum Tyriis, cum Poenis, quinimo et cum Aegyptiis. Theocratico utentes imperio, magna in pace Hebrei vivebant ubique, ea tamen in pace, quae non tentanda armis populo cuivis proximo videretur (3). « Servivitque Israel Domino cunctis diebus Iosue et Seniorum, qui longo vixerunt tempore post Iosue » (4). At quid hoc in tempore Hebreis, imperium erat « ab orientali parti Iordanis ad mare magnum » mediterraneum scilicet, cui mox addendae erant gentes quot sunt ab Euphrate ad Iordanem? Si litterae, si carmina sint cultus et humanitatis indicia certissima habenda, quibus artes omnes respondeant et convenient necesse est, in poesi Hebreorum reperimus nunc, scilicet in hac altera aetate, quae tertiae imminet, quod longe superet gentes ceteras, et antecellat. Ubinam enim canticum victoriae, quod Debora cecinit, Sisara subverso, interempto, qui, ad excindendos Hebreos, omnes Chananaei regis, Iabini, copias adducebat, et nongentos falcatos currus, et immanes iras, et avaritiam inexplebilem? Quid unquam simile postremis versibus Epiciorum admirabilis? « Volvatur (Sisara) ante pedes eius (Iahelis clavo caput terebrantis), et iacebat exanimis, et miserabilis. Per fenestram respiciens ululabat mater Sisarae, et de caenaculo loquebatur: Cur moratur regredi currus eius? quare tardaverunt pedes quadrigarum illius? Una, sapientior ceteris uxoribus eius, haec sorori verba respondit: Forsitan nunc dividit spolia, et pulcherrima seminarum eligitur ei; vestes diversorum colorum Sisarae traduntur in praedam, et supellex varia ad ornanda colla congeritur! — Sic pereant

(1) Lib. Iosue, c. 24.

(2) PROCOPIUS, De Bello Vandatico.

(3) Lib. Iosue, c. XXI, v. 41 ad 43. Idem, c. XXIII, v. 8 ad 10. Idem, c. XXIV, v. 11 ad 13.

(4) Lib. Iosue, c. ult., v. 31.

omnes inimici tui, Deus! » (1). At lugubre carmen, quo David Saul et Ionatham flevit extinctos, nec in Horatio, nec in quovis leges. Tantum instar in ipso est, ut nunquam obsolescat; quoties legeris, toties novum appareat, ac de ipso recte dici potest: semper aliud et idem, cui nihil huiusmodi par est, nihil secundum (2)...

Ex ineditis H. DE VECCHI PIERALICE.

(1) Lib. Iudicum, c. V.  
(2) Regum, lib. II, c. I, v. 18 ad 27.

IN LEONEM DELAGRANGIUM  
NOVO MACHINAe ADMINICULO  
AÉRIOS VOLATUS  
TENTARE AUDENTEM

*Quid novi saeclo meditaris, audax,  
In dies nostro properante sumnum  
Laudis ad culmen, sonituque plectri  
Gesta canente?*

*Quid manu fractas, animose nauta,  
Cui per insuetos placet ire calles,  
monstro et immensi spatium volucri  
Findere caeli?*

*Quis tibi vires dedit ad volandum,  
Artifex, mundi vacuum per axem?  
Quane tu speras ratione ferri  
Dum stupet orbis?*

*An vetustorum rediere vatum  
Saecla, cum capti penitus pavore,  
Mira senserunt homines revolvi  
Undique signa?*

*Et feros hydros lacerare membra  
Dentibus saevis agilesque gryphes  
Ferre sublimem vario rotatu  
Tergore praedam?*

*Fabulas narrat minime moratus  
Tu viam pergis, peregrinus aethrae,  
Invictum vulgus fugiens, pericla  
Cunctaque spernens.*

*Non inhorrescis iuvenis ruina  
Qui fabro multum monitus parente  
Decidit caelo vitreo daturus  
Nomina ponto.*

*Non ab incepto revocant labore  
Succubi frustra voltantis armis  
Moxque casuri barathro deorsum  
Fata Simonis.*

*Iamque clamores media in platea  
Suscitat moles cita navis instar:  
Arte commendant opus universi  
Ingenioque.*

*Tale praevidit speculator alae  
Singulas partes aviumque formam  
Aëris plaustrum veniens in aevum  
Vincius olim.*

*Mente qui fixit peperitque acuta,  
Non minor clando Veneris marito,  
Machinam sursum vario trahentem  
Pondera motu.*

*Quin in hoc altum studio petendi,  
Quamdiu vixit, vigil elaborans,  
Tradidit serae pretiosa signa  
Posteritati.*

*Inde tum coepit stimulare cursus  
Altis fortes animos carinae,  
Quae vagas nubes validi moveret  
Verbere remi.*

*Prisca quid rectis decorata pennis,  
Spiritu vivo velut acta, magnam  
Ipsa vi secum rapiens in altum  
Machina caudam?*

*Arma quae totis columen metalli  
Porrigunt membris rutilumque caelum  
Ictibus pulsant, fluidi subacti  
Quid nisi signum?*

*Quidne compellit nisi firma rerum  
Spes viros semper tot adire casus  
Et pati sortis variae labores  
Arbitriumque?*

*Ecce: fingendi meritus triumphum  
Arte, vestigas nova, nota nulli:  
Sic duo mundi socias tenaci  
Lumina vinclo.*

*Prona sustentat traheae per arcton  
Ferream molem similis ruentis  
Area et spirae in cochleam reforiae  
Flexibus instant.*

*Hæc agit vero stimulis anhelis  
Magna vis motum tribuens, et inde  
Laude cantatum celebri per orbem  
Aëroplanum.*

*Iamque doctrinam gravioris aura  
Corporis profert in aprica terrae  
Erutam fundo volucrum canorum  
Aemula moles.*

*Qui tui sensus, animose? quaenam  
Blanda te mulsi trepidum volupas  
Arva tum primum pedibus sub altis  
Bata videntem?*

*An timor pressit dubius sedentem  
Ad gubernaculum, moderator alae,  
Ne tuum nisum facerent inanem  
Invida fata?*

*Iam teri lucro manibus per annos  
Gentium magno video precorque  
Pegma futuris validis ad auctum  
Atque politum.*

*Tunc erit curis positis parumper,  
Dulcius nobis renovare vires  
Ex humo evectis gremioque venti  
Condere luctum.*

*Sic in aeternum sociare foedus  
In vicem dextras populis licebit;  
Sic iter regnum celerare ad aliae  
Pacis honestum.*

*Perge, molitor ratis insolentis,  
Impiger votis hominum favere,  
Et tene fausto, superis propinquum,  
Omine callem.*

*Da novo nobis agili vehiculo  
Ocius caeli spatium secare,  
Nunc ut efferti birotis solemus  
Pulvere nigri.*

*Macte, sic sospes redeas relicis  
Finibus terrae, celebrande victor,  
Quos tui demum teragrabit omnes  
Fama triumphi.*

*Itali regis genium probante,  
Igne cui fulgent oculi sagaces,  
Coniuge, insignis merita corona  
Ibis ad astra.*

MARCUS GALDI.

*Virtus, repulsae nescia sordidae,  
Intaminatis fulget honoribus;  
Nec sumit aut ponit secures  
Arbitrio popularis auræ.*

HOR., Od. III, 2.

BIBLIOTHECA  
VATICANA

BIBLIOTHECA  
VATICANA

## AGRESTIS CRYPTARUM ROMANARUM MUSA

Cogitatione depingenti religionis nostrae incunabula subit animum plebs illa artificum, servorum, senum, puerorum, virginum, inter quos unus et alter aut praetextatus, aut paludatus, nonnullae matronarum stolae: qui omnes nihil aliud nisi Crucem et suum ipsorum sanguinem triumphali et Neronis et Diocletiani Romae opponebant. Post longos dies per silentium et ieunia pie traductos, noctu taciti in cryptas descendebant, fratres, dum membra martyrum disiecta ferrent, exspectaturi. Ecce, face fumosa praegrediente, veniunt: cuncti proxime accedere, vulneraque numerantes cernere digitoque timido cetera in infirmis lacertis tormentorum vestigia impressa attingere; et qui ea maxima pietate collegerant, voces populi clamitantis atrocissimas illosque omnia perpetientes renunciare. Nullum autem fletum gemitumque Ecclesia prior sperans, non lugens, in moestas reliquias effundebat: omne enim caesum corpus, humili latere cocto in tenebris contectum, erat ei lapis ad Dei urbem aedificandam.

Quae tempora sane singularia quum inclinarent, Damasus a. ccv post Ch. n. Romae natus est, quo anno Diocletianus imperium abdicavit, patre «exceptore» et matre hispanis. Inter ingenuarum litterarum studia primam traduxit aetatem et cotidiam fere cryptarum frequentiam. Cui advenienti per tenebrosa cunicula se in conspectum dabat fossor, velut umbra, qui, dum in sepulcro incidit vel naviculam leviter plenis velis transgredientem super fluctus, vel avem evolantem, vel florem qui «egreditur et conteritur et fugit» (Iob), uniuscuiusque miram in patiendo fortitudinem enarrabat.

Neque haec memoriae tantum mandabat, sed in paterno exceptoris tabulario fidei annales perlegebat, nova addens, corrigens errata. Non ita multo post diaconus electus suo munere in cryptis, sepulcris consulens aedificandis, functus est, donec Liberius rector sacerdotio eum auxit, exsulque in Urbe vicarium pontificium morum sanctitate potius quam doctrina delegit.

Aetate proiectus, dum Ecclesiam et haereses et schismata dilacerant multasque in partes dividunt, pontificatum iniit; at is navis clavum sapienter tenuit duodeviginti annos usque ad a. cc LXXXIV; nec quidem tot tantisque negotiis distentus cryptarum oblitus est; quin etiam senex factus versus in martyrum honorem insculpendos lapidibus sepulcralibus composit, quorum non pauci, invitatis quasi fatis, suspirant.

De his sane, brevi licet, disputare iuvat, atque quam sint rudes, simulque mediocri quadam musa-

rum lepore ornati, quam macri, in ipsa tamen hac macie interdum tenerum ac molle spirantes, ut animi vires promoveant, existimare.



Pauci novae fidei usque ad Damasum poetae; iisque in id maxime intendentis, ut evangelicos fastos carminum illecebris induerent, et fidelium animos ab iis, qui praecclare quandam falsa cecinerant numina, facilius hac ratione removerent. Inter quos duo praesertim praestiterunt Iuvencus et Sedulius, ambo res a Christo gestas pluribus versibus conscribentes gloriamque exspectantes, veluti pio carminis sui amore deceptus Iuvencus ait: «Nobis certa fides aeternae in saecula laudis». Nec iure: quis enim nostrum libros illorum evolvit? Nam doctrina praestantes, probanda quadam sensim arte et in verbis eligendis diligentia laudabiles, nihil nisi frigidum quidam, et taedium afferens, effecerunt. Quod quidem illis praesertim rerum vitio accidit, quum pro verbo sacris libris esset inserviendum, nec iis, uti Torquato nostro, cum veritate ornamenta contexere liceret.

Ab hac trita canendi via deflectit Damasus, qui non Christum, nunquam minimeque animi perturbationibus indulgentem, utpote in quo omnia sint supra hominem, sed christianos, eosque martyres, qui, pronovis ariis certantes, et ignibus et ferro et ferarum dentibus laniati ceciderant, laudat, tumulosque mar moreis columnis et crustis exornans, in illis singulorum nomina resque enarrat. Ac sane quidem operi egregio ratio temporum peropportuna favebat: in singulos enim annos sensim e christianorum animis sacra tot suppliciorum memoria excidebat, quamvis et martyrum amor, et Victoriae, quam fortes christiani perissent, ingens extaret laetitia, recentibus Iuliani cladibus quasi renovata.

Damaso igitur curriculum patuit, cui o quanta laus, si variam multiplicemque historiam ab initio exorsus esset, omnesque ordine cruentos fastos evolvisset! Poterat enim id assequi, mea sententia, quoniam sanctus Hieronymus ille *ciceronianus*, quum poemata eius iuvenilia de virginitate perlegisset, in eo «elegans in versibus componendis ingenium» inesse affirmavit; scribensque ad eum, tamquam ad litterarum peritissimum, vitiosum epistulae sermonem excusavit: «Non ambigo quin inulta tibi nostra parvitatis videatur oratio, sed saepe causatus sum expoliri non posse sermonem, nisi quem propria manus limaverit. Itaque ignosce dolentibus oculis, id est ignosce dictanti». Sed ille, tum quod vires consenescerent, tum quod sibi, omnes summi officii partes exsequenti, brevissimorum carminum tempus tantum esset, famae suaem minime curiosus, admodum mediocris evasit.

tentur, arma proiciunt, et ne amplius feriant, colla securibus animosa praebent.

Principem sane locum inter illius versus, mea sententia, obtinent, qui sanctae Agnetis laudes dicunt; nec vero eximia puellae fama, sed sua ipsorum venustate, ceteris mihi praestare ita videntur, ut Prudentius ille, clarissimus subsequentis aetatis poetarum, in suo hymno (*Peristephanon*, h. XIV) eidem virginis dicato imitari non desierit. Hinc autem nobis poetam nostrum cum Prudentio comparare licebit, quique versus delectationis minime, sed pietatis causa fecerit, cum insigni vate componere, qui Musis totam vitam devovit. Quid ergo in utroque aut probandum sit aut reiciendum videamus.



Et primum omnium de S. Xyhti II epigrammate, in quo praeclarus martyr quasi vivus ad populum paterna auctoritate contionatur suasque res pie breviterque pandit:

*Tempore quo gladius secuit pia viscera Matris,  
Hic positus rector caelestia iussa docebam:  
Sed veniunt...*

At per pauca sunt de rectoribus carmina eaque ad historiam pontificalem perquam utilia: pleraque martyres, qui virtute tantum non honoribus, non praeclaris facinoribus eminuerint, canunt, nobisque, quum horrenda, quibus laniati sint a *rabidis canibus* (his verbis Damasus profanum vulgus significat, nil praeter panem et circenses appetens, magnisque clamoribus ad bestias cotidie *fideles* mitti iubens; quod tamen, quum in viis sauciatum invalidumque iaceret, in hospitia inimicorum receptum suavissime curabatur) christiani, tormenta testantur, certa de pristinis Ecclesiae moribus afferunt indicia.

Saepe christianos vel fratres vel germanos, quasi consanguinitatis iure cohaerentes, appellat, dum carceres quam coenosi et spurci, praesules quanta sint rabie efferati, quam solerter etiam ad *christi fideles* diuturnis et exquisitis cruciando suppliciis, non sine quadam, etsi agresti, arte depingit, rudibusque doloribus illuminat.

Damasum saepius maciem quandam sapere ac redolere non infitor; nihilominus piorum oculi tabulam pictam, in qua vel summus artifex penicilli ope colorumque illa certamina ad vivum effinxerit, spectatum admissi, nullam unquam vehementius admirati sunt. Si fidem deneges, librum ipse aperi, ieuniasque laudes perlege Marcellini et Pauli. — Procul ab Urbe ambo, ne eorum christiani truncos venerentur, custodibus insequentibus, ad supplicii locum pergunt. Inter dumeta vespesque morituri consistunt, carnificeque iubente sua ipsi manu locum spinis purgant, ut idoneum supplicio efficiant, et demum cervicem securi subiiciunt laeti. — Numquid alia quaeris spectacula?

— Nereum et Achilleum adspice, qui ambo milites saevi Caesaris iussu christianos interficiebant, quum subito, vi animi quadam commoti, se christianos fa-

In illo igitur sanctae Agnetis epigrammate, quod incisum in cryptis viae Nomentanae ad virginis sepulcrum legimus, admirationem quodammodo Damasus habet, quia nos extemplo media in illa lugenda tempora rapit; vocemque tubae horrendam, qua praeco sedentem ad christianos iudicandos praesulem denunciabit, nobis exaudire videmur. En subito Agnes, e parentum nutricisque gremio elapsa, stansque ante praesulem christiana, quae parvula sed secura se deos colere negat, et ad bustum rapitur. Tum pavidam incensi busti flammis puellam, divulsamque in contrarium et florentis aetatis illecebris suppliciique timore, et magna erga Christum pietate, sed tamen tantos compescentem animi tumultus rugumque despicientem, felicibus verbis reddit. Quae omnia non amplius quinque versibus describit, quos duo illi aurei sequuntur, virginis pudorem laudantes:

*Nudaque perfusum crinem per membra dedisse,  
Ne Domini templum facies peritura videret.*

Quae quum ita sint, non possumus tamen hoc poetae condonare, quod non omnes ordinatim martyrii vices narraverit. Nihil enim omnino curavit nobis referre, qua vi divina, quum in scortarum domum esset primum adducta, nihilo secius tuta ab iniuriis evaserit, posteaque rogo imposta quomodo e flammis incolumis prodierit, et denique gladio percussa honeste ceciderit. Itaque ergo dulcia sed exigua nimis Damasi verba: quod vitium certe Prudentio non obiciemus, quippe quum diligentissime, quae omnia ad martyres pertineant, exquisierit, atque ea fuse, ne dicam fusius, et ubertate inventionisque felicitate et verborum flosculis exponere solitus fuerit. Quin etiam comparantibus carmina permulta, quibus Prudentius modo in ima sua fidei arcana se immittit, modo Christum vere Deum confirmat, modo insidentia humano generi mala unde eruperint exquirit, modo Romanam molem, urbium ruinis conflatam, quo facilis



Novae pinacothecae Vaticanae aula a Melotio appellata.

Apostoli, domito orbe pacatoque, gentes novam fidem doceant, ex alto prospicit, et Symmachum paganum impugnat, et falsis illudens diis, Marcellinorum, Fabiorum, Furiorum, Aniciorum stirpe ortos, qui ad Christum conversi aurata numinum, sed desolata tempa deseruerant, romanos patres salutat, cum exsangui incomptaque cryptarum musa, poëtae nomine quasi indignus Damasus videtur.

Verum illi, quum martyrum laudes aggreditur resque ab iis paeclare gestas canit, aemulus occurrit Damasus, qui non multo inferior evadit. Minime enim

ligenter curat ne martyres unquam, quos iam fatum supremum manet, ampullas iacent et sesquipedalia verba, veluti histriones fictam sustinentes personam; iisque nusquam orationes accommodat; sed animi motus, quibus morituri dilacerarentur, timorem supplicii Deique amorem, luminis desiderium maximamque caeli spem, sicce et interdum significanter exprimit. Ut Agnes, quae non praesulem obiurgat, non animi fortitudinem altius praedicat, at mitis eademque sublimis timorem magnum superat rogumque victrix concendit.

vitiis Prudentius caret, quoniam sive inflatus supraque modum exultans, sive superfluens nec satis pressus, narratione laborante nos in languorem vertit. Utinam ingenii ardori temperare quam illi indulgere maluisset! Quid autem de assiduis eius oratiunculis dicam, quibus, ut apud Livium duces, martyres, quum iam defixos in se fera rum oculos adspiciunt, concionantur? Immo vero, oculi in caelo defixis, toto pectori morituri Deum exorabant, et ad gaudia superna, quasi iam adessent, nitebantur. Evidem inani illius facundiae maciem Damasi et ossa anteponimus, qui saltem nos tenet pura et emendata oratione verborumque modestia et, ut ita dicam, pudore; nunquam enim martyria tam crude depingit, ut foetore quodam repulsus lector gradum referat. Quod autem vitium apud Prudentium invenimus.

Itaque recto usus iudicio Damasus di-



Novae pinacothecae Vaticanae "Sexcentistarum" aula.

Ne pseudoambrosianus quidem sanctae Agnetis hymnus humilis Damasi versibus praestat; in quo vere magnae sententiae flosque et pigmentorum color, sed nihil peculiare unde pateat qualis virgo fuerit quidve passa sit.

Praeterea apud Damasum, ut in Agnetis epigrammate puellam bustum horrentem horrentes ipsi miramur, ita alibi versus tenerum quiddam et flebile spirantes legimus: verbi gratia, Proiectae laudes, in ipso aetatis flore de matris complexu coniugisque avulsa, vel Irenis sororis, vicesimo aetatis anno ei funere raptae. Cuius casum o quam dulcibus flebilibusque modis, cari capitum desiderium significantibus, dolet! At maximum eius dolorem lex evangelica omnia patienter ferendi certaque caeli spes permulcit et lenit. Illud etiam memoria dignum non praetermittam sancti Felicis epigramma, cuius versum:

*Nec quemquam pateris tristem repedare viantem*

Prudentius (*Peristeph. h. II*) subripuisse videtur; il ludque Eusebii et episcopi et martyris celeberrimum, ubi versum legimus suavissimum:

*Pertulit exilium Domino sub iudice laetus.*

(*Ad proximum numerum*).

JOSEPH TREZZA.

## DE NOVA PINACOTHECA VATICANA ITERUM

Sociis pluribus morem gerentes, aliarum novae pinacothecae Vaticanae aularum prospectum damus, unde magis magisque novi pontificii monumenti divitiae eluceant.

Prima, quam hodie exhibemus, aula est quae Melotii nomine iam apud omnes distinguitur, tabulis-

que non ante publico visui expositis maxime constans. Quae quidem licet diversis scholis, iisque saepe inter se dissimilibus, proveniant, iuxta certam tamen rationem tum aetatis, tum styli dispositae sunt. Ita ad dexteram ingredientis partem specimina Florentinae saec. XV artis habes, inter quae Angelici Faesulani et altaris scabellum historiam S. Nicolai Barensis reproducens, et parvam illam Virginis cum Iesu in fante effigiem, auctoris illius miraculum iure aestimat. Sequuntur hinc Benotii Gozzoli magna tabula, inde Christi vitae historiae, plane aperientes quoisque magistri doctrina in discipulos influxerit; et Philippi Lippii Virginis coronatio et Andreae Del Sarto Deiparae imago, aliaeque tabulae picturam Melotii Foroliviensis muralem circumdantes, de qua fusius in superiori numero mentionem fecimus.

Ita ad Foroliviensem ac Faentinam scholam proceditur, indeque, in altera aulae parte, ad scholam Senensem, cuius specimina nisi magno pretio, numero saltem insignia evadunt.



« Sexcentistarum » aulam praeterea visu delegimus, quippe quae glorificatio dici potest picturae iniuria neglectae, interdum etiam contemptae; nunc vero ad novos honores elatae, quibus digni apprime sunt artifices, qui eam repreäsentant. Praeclarissimis enim huius aulae operibus, — et Dominici Zampieri, vulgo *il Domenichino*, qui S. Hieronymum mirifice effinxit sacra synaxi prope mortem refectum, et Michaelis Angeli de Caravaggio, cuius tabula offertur Iesum exhibentem a cruce depositum, quae quidem opera pingendi rationem prope oppositam, licet aetate eadem, obiciunt, — coronam quasi addit Andreae Sacchi, Guercini, Barocci, Guidonis Reni, Saxiferrati, Caroli Maratta ars, ut nihil iterum dicamus de Caravaggii tabula Petrum denegantem coram Pilati ancilla tanto colorum fulgore tantaque imaginum veritate expressa, deque Barocci illa « Quiet in Aegypto » nunc primum exposita, atque ineffabilis suavitate omnium oculos ad se trahente.

Iam enim claudendi rivi sunt; sat prata biberunt.

FORFEX.

#### COMMENTATIONES PHILOLOGICAE

Quum per triginta septem annos publico munere functus in otium et quietem recessissem, etsi intellegebam, ne per inertiam et languorem animo pariter et corpore torpescerem, aliquam mihi occupationem esse circumspiciendam, tamen, quid potissimum mihi proponerem, ad quod non plane inutiliter operam

meam conferrem, aliquamdiu incertus fluctuabam. Nam illud quidem extra dubitationem positum erat, istam occupationem non posse esse nisi litterariam, — quid enim aliud ab ineunte aetate praeter litteras tractaveram, aut ad quid aliud omnino me idoneum existimare poteram? — sed quamnam vastissimi campi litterarii particulam, in qua per aliquod saltem tempus versarer, eligerem, nonnulla deliberatione indigere videbatur. Satis multa enim, quae arripere possem, occurabant, quorum tamen partim vires mei ingenii excedere sentiebam, alia magnam librorum supellectilem, a qua aut omnino aut magna ex parte substitut essem, requiri videbam.

Nam si *serio* aliquod genus philologiae attingere vellem, — ea autem erat unica disciplina, in qua quum per quinque fere decennia elaborassem, aliquem saltem operae meae fructum sperare possem — non potui nudis pedibus, ut aiunt, meo Marte fretus, quounque luberet, insilire et quidquid in mentem veniret, mandare literis, sed accurate erant priorum auctorum de eadem re, quam mihi tractandam sumpsisset, sententiae cognoscenda, excutienda, diiudicanda, novis denique, si fortuna faveret, incrementis auggenda. Atqui ad haec omnia rite procuranda quis non videt amplio librorum apparatu opus futurum fuisse? Quos libros aut cum molestia et taedio ex bibliotheca Goritiensi particulatim petere, aut, si ne illuc quidem extarent, aliunde corrogare aut vero coemere debuisse. Quis autem credit mihi, cui « curta domi res », animum esse ad sumptus librarios faciendo?

Haec igitur quum ita essent, aliam viam insistere placuit et quidem tam, quae libera esset ab impedimentis, qualia significavi. *Ludicra* potius et quae ab omni ambitione aliena essent, conscribere visum est, h. e. quaecunque subinde de philologiae partibus animum meum pepulissent, levi brachio literis consignare. Haec igitur, quam meditor, rerum varietas speciem referet saturae lancis sive musivi operis, cuius singulae sectiones nullo inter se necessitudinis vinculo contineantur. Quod autem ista frustula latine, non vernacula perscribere decrevi, haec mihi causa fuit, ut latine scribendi facultas, quantulacunque in me esset, longa exercitationis intermissione ne sensim exolesceret et ad extremum penitus interiret.

Iam satis, ut opinor, scriptio meae praefatus ad rem ipsam accedam et primum quidem aliquot in Thucyditem animadversiones dabo.

Goritiae.

(Ad proximum numerum).

A. B.

*Est deus in nobis, agitante calescimus illo,  
Impetus hic sacrae semina mentis habet.*

OVID., Fast. VI.

#### COLLOQUIA LATINA

(Cfr. num. sup.)

C. — Ferrea tamen saecula illa, quae media aetate ineunte tenebris obsita, cultus sylvester et ferus, litterarum usus tenuis nimis, nullae artes, quum ecclesiae dominatus vigeret, et plura monachorum coenobia undique sparsa viderentur....

P. — Hoccine, mi bone, est ecclesiae imputandum aut a sodalium, qui « a religione » nuncupabantur, caetibus derivandum? Si tu non ephemericibus, aut diariis istis, qui in dies produntur, et a tribunis non semel procacibus, eduntur, legendis incuberent, sed doctis de historia disquisitionibus, quae nunc temporis a viris doctrina et critices ope pollutibus evulgantur, facile perdisceres ob rerum publicarum eversionem, et quod magis est, bellorum perniciem, aliquando factum esse, ut imperia artium splendore, litterarumque cultu olim celebria, in tantum squalorem, rerumque imperitiam corruerint, ut rerum gestarum oblivio urbes, nedum pagos, tacite quodam modo invaserit.

S. — Tantis malis, quae illis temporibus incubuerunt, ecclesiasticos viros non occurrere!

P. — Laus imo ecclesiasticis viris, et in claustris degentibus praesertim, qui sylvestres ferasque gentes ad humanitatis sensus catholicae fidei ope gradatim revocant litterarum interitum prohibuerint, liberaliumque artium usum, quantum in ipsis esset, servaverint.

C. — Aedepol, quae nunc prodigia in hominum communitate miramur, aequalibus nostris unice tribuenda sunt; nec de ipsis vetusti illi, quos tu memoras, nihil meriti sunt.

P. — Cedo, haec adhuc tibi responderi sinas; hora quippe processit, coenaturo enim. Memini mihi iuris primordia Romae olim ediscenti saepe saepius hoc effatum occurtere: *Qui est causa causae causa est causati*, unde sic concludendum mihi videtur. Nemo cordatus neget pleraque, quibus hodie extollimur, sive instituta, sive monumenta, sive civilis politiorisque cultus adiumenta, et saeculis illis originem ortumque duxisse, in quibus ecclesia primatu, ut asseris, potiebatur. Undenam litterarum disciplinarumque lycea, artiumque instituta? E coenobiorum sodalibus, qui iuxta regulam vitam degebant. Undenam leges sapienter conditae, et feritate deposita, ad humanitatem informatae? E conciliis, aliisque clericorum conventibus. A quibusnam agrorum cultus, paludensesque, queis valles passim inquinabantur, ad irrigationem traductae? A S. Benedicti alumnis, qui oratione praeposita ad rustica opera assidue cumbebant.

S. — Sed huius aetatis inventa, sublimioresque disciplinae sunt etiam ab illis, ceu a germe quodam, derivandae?

P. — Quid plura? Pulveris pyrici compositio, quae bellica res maximum incrementum habuit, monacho cuidam tribuitur; imo quo altius aliquantis per extollar, astrorum scientia, qua mens hominum hodie adeo nobilitatur, a canonico quodam Frankenburensi accepit, ut Ptolomaico systemate abdicato, nova methodus, et quidem splendidior, tantae disciplinae cultoribus pateret. Sapienti consilio ergo sexaginta ante annos, et amplius, quum Italia in libertatem vindicari coepisset Gioberti, qui inter illius rerum conversionis fautores principes habebatur, sic palam edicere non dubitavit: « Vae nobis, vae genti latinae, si monachi illi, qui aetate remota litterarum, doctrinaeque omnis faces unici alebant, aut socordia aut mala cupiditate eas extingui passi essent! Tenebrae adhuc has invaderent regiones, nosque, ceu Arabes ad Africæ litora incolentes, sylvestri vita miserrime torpesceremus ».

*Albitimili.*

CALLISTUS AMALBERTI.

#### ACTA PONTIFICIA

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII PAPÆ X

LITTERÆ ENCYCLICAE

VENERABILIBUS FRATRIBUS

PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS

ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS

PACEM ET COMMUNIONEM

CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

PIUS PP. X

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Communium rerum inter asperas vices additasque nuper domesticas calamitates quibus animus Noster dolore premitur, plane recreat ac reficit christiani populi universi recens conspiratio pietatis, quae adhuc esse non desinit *spectaculum mundo et angelis et hominibus* (1), a praesenti facie maiorum forte excitata promptius, sed ab una denique causa profecta, Iesu Christi Domini Nostri caritate. Quum enim huius nominis digna virtus nulla in terris existiter nec possit esse nisi per Christum, ipsi uni accepti referendi sunt fructus

(1) I, Cor., IV, 9.

qui ab ea dimant inter homines etiam in fide remissiores aut religioni infensos, in quibus si quod exstat vestigium verae caritatis, id omne humanitati a Christo illatae debetur, quam ipsi totam exuere et a christiana societate pro-pulsare nondum valuerunt.

Hac tanta contentione quaerentium Patri solatia et fratribus opem in communib; et privatis aerumnis, commotis Nobis vix verba suppetunt, quibus grati animi sensus exprimamus. Quos etsi non semel singulis testati sumus, haud remorari voluimus gratiae publice referendae officium exsequi, apud vos primun, Venerabiles Fratres, et per vos apud fideles omnes quicunque sunt vigilantiae vestrae contrediti.

Sed libet etiam gratum animum profiteri palam filii carissimis, qui, ex omnibus terrarum orbis partibus, tot ac tam praecularis amoris et observantiae significationibus quinquageneriam sacerdotii Nostrum memoriam sunt prosequunt. Quae quidem humanitatis officia, non tam Nostra, quam Religionis et Ecclesiae causa delectarunt, quod impavidae fidei testimonium exstiterint et quasi publica honoris significatio Christo Ecclesiaeque debiti, per obsequium ei exhibutum, quem Dominus familiae suae praeposuit volunt. Sed et alii idem genus fructus haud mediocris causam laetitiae attulerunt. Nam et saecularia solemnia institutarum in America Septentrionali dioecesum occasionem obtulerunt immortales Deo gratias agendi ob additos catholicae Ecclesiae tot filios; et Britannica insula nobilissima spectaculo fuit ob instauratum suos intra fines pompa mirifica honorem Eucharistiae sanctissimae, adstante Venerabilium Fratrum Nostrorum corona cum ipso Legato Nostro ac populo confertissimo; et in Galliis afflita Ecclesia lacrimas detersit mirata splendidos Augusti Sacramenti triumphos Lourdensi maxime in urbe, cuius celebratit origines gavisi sumus quinquagenario apparatu solemnii fuisse commemoratas. Ex his alisque norint omnes persuasumque habeant catholici nominis hostes, splendidiiores quasdam ceremonias exhibutum Augustae Dei Matri cultum, honores ipsos Pontifici Summo tribui solitos eo tandem spectare ut in omnibus magnificetur Deus; ut sit *omnia et in omnibus Christus* (1); ut, regno Dei in terris constituto, sempiterna comparetur homini salus.

Exspectandus divinus hic de singulis ac de universa hominum societate triumphus non aliis est nisi aberrantium a Deo ad Ipsum reversio per Christum, ad hunc autem per Ecclesiam suam; quod quidem Nobis esse propositum, vel primis Nostris Apostolicis Litteris *E supremi Apostolatus Cathedra* (2), et saepe alias, aperte declaravimus. Hunc reditum cum fiducia suspicimus; ad hunc maturandum consilia Nostra sunt et vota conversa, tamquam ad portum, in quo praesentis etiam vitae procclae conquescant. Atque hoc nimur quod publice redditii Ecclesiae honores velut indicio, Deo bene iuvante, sint redeuntium gentium ad Christum et Petro Ecclesiaeque arctius adhaerentium, officia humilitati Nostrae persoluta libenti gratoque animo excipimus.

Haec autem cum Apostolica Sede caritatis necessitudo etsi non eodem semper aut ubique se gradu prodidit nec uno significationis genere, nihilominus divinae Providentiae consilio factum videtur, ut eo devinctior exstiterit, quo iniqiora, uti modo sunt, tempora sive sanae doctrinae, sive sacrae disciplinae, sive Ecclesiae libertati decurrerunt. Coniunctionis id genus exempla sancti viri praebuerunt iis temperatibus, quum aut exagitaretur Christi grec, aut aetas vitis diffueret; quibus malis opportune Deus obiecit illorum virtutem atque sapientiam. Ex iis unum commemorare hisce

(*Ad proximum numerum*).

(1) *Coloss.*, III, 11. — (2) *Litt. Encycl.* d. iv mens. Octobr. MDCCLXXXI.

Litteris maxime iuvat, cuius in honorem hoc ipso anno apparantur saecularia solemnia, expleto a beatissimo eius exitu octavo saeculo. Is est Augustanus doctor Anselmus, catholicae veritatis adseritor et sacrorum iurum propugnator acerrimus, tum qua monachus et Abbas in Gallia, tum qua Cantuariensis Archiepiscopus et Primas in Anglia. Nec alienum esse arbitratur, post acta splendido rito solemnia doctorum Gregorii Magni et Ioannis Chrysostomi quem alterum occidental, alterum orientalis Ecclesiae iubar admirati suscipimus, aliud intueri sidus, quod, si a prioribus *differit in claritate* (1), illorum tamen progressiones aemulando, haud infirmiore lucem exemplorum doctrinæque diffundit. Quin etiam eo potentiore quodammodo dixeris, quo nobis propter Anselmus aetate, loco, indole, studiis, et quo magis accedunt ad horum similitudinem temporum sive lucta genus, sive pastoralis actionis forma ab ipso in usum deducta, sive instituendi ratio, per se, per discipulos tradita et scriptis maxime confirmata, ex quibus habita est norma *ad defensionem christiana religionis, animarum projectum, et omnium theologorum, qui sacras litteras scholastica methodo tradiderunt* (2). Quare sicut in noctis caligine aliis occidentibus stellis, aliae ut mundum illustrent oriantur, sic ad Ecclesiam illustrandam Patribus filii succedunt, inter quos beatus Anselmus velut clarissimum sidus effulgit.

Ac vere quidem in media aevi sui caligine, vitiiorum errorumque laqueis impliciti, optimo cuique inter aequales visus est suae fulgore doctrinae ac sanctitatis praelucere. Fuit enim *fidei princeps et decus Ecclesiae... gloria pontificalis*, qui sui temporis *omnes vicerat electos egregiosque viros* (3). — Idem et sapiens et bonus et sermone fulgens, *ingenio clarus* (4), cuius fama eo usque progressa est, ut merito scriptum sit, non fuisse in terris quenquam, qui dicere vellet: *me minor Anselmus est similesve mihi* (5); acceptus ob haec regibus, principibus, Pontificibus Maximis. Nec suis modo sodalibus ac fideli populo, sed *carus habebatur hostibus ipse suis* (6). Ad eum etiam tum Abbatem litteras existimationis et benevolentiae plenas misit magnus ille ac fortissimus Pontifex Gregorius VII, quibus se et *Ecclesiam catholicam eius orationibus commendabat* (7). Eadem Urbanus II *reverentiam devotionis, fidei robur et piae sollicitudinis instantiam extulit laudibus, eius auctoritate religionis ac sapientiae* (8) facile adductus ut fraternalitas sua postulationibus annueret, quem praedicare non dubitavit omnium Angliae episcoporum sapientissimum ac religiosissimum.

Nec tamen aliud esse sibi videbatur nisi contemptibilis homuncio, ignotus homunculus, homo parvae nimis scientiae, vita peccator. Cumque de se tam demisse sentiret, non hoc tamen impedithebatur quominus alta cogitaret, contra ea quae malis moribus opinionibusque depravati homines iudicare solent, de quibus sacrae litterare: *Animalis... homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei* (10). Illud vero plus habet admirationis, quod eius magnitudo animi et invicta constanter, tot molestias, impugnationibus, exsilis tentata, ea cum lenitate fuit et gratia coniuncta, ut vel ipsorum iram frangeret qui ei succenserent, eorumque sibi benevolentiam conciliaret. Ita, *quos eius causa gravabat, laudabant tamen quod bonus ipse foret* (11).

## DIARIUM VATICANUM

(Die xxii mens. Aprilis - d. xx mens. Maii MDCCCLXXXIX)

### Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneric gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Ferdinandus, Aurelianensis familiae Princeps; r. v. Franciscus Wyndham, nomine Westmonasteriensis archiepiscopi statuam argenteam novensilis Beatae Ioannae de Arc Pontifici offerens; Croatorum peregrinorum manus; manus peregrinorum ex Gallica Armorican regione; Goluchowski Comes, iam exterarum rerum administer in Austrorum Hungarorumque imperio; manus peregrinorum Bergomensium; Marius Chisius, Princeps Urbanus, eiusque uxor; r. p. Murray, rector maximus Congregationis SS. Redemptoris nuper electus; De Liechtenstein Princeps; Venillot doctor, Gallici diarii cui titulus *Univers moderator*; Bavari peregrini; iuvenum catholicorum manus Italici athenaeis studiis vacantibus; Poloni, Hispani, Lusitanis Teutonesque peregrini; Vindobonensis municipii coetus.

### Pontificiae electiones.

Paulus Moreschini, archiepiscopus Camerinen. et Treien.; Dominicus Lancellotti, episcopus tit. Delcen.; Hyacinthus Gaggia episc. tit. Hadrumetin.; Joannes Baptista Marenco e Congregatione Salesiana episcopus Massen.; Cyrus Pontecorvi, archiepiscopus Urbinus renunciantur.

### Varia.

Die xxv mens. Aprilis Joannes Eudes, Congregationis Iesu et Mariae conditor; die ii mens. Maii Stephanus Theodorus Cuenot episcopus, Franciscus de Capillas ex Ord. Praedicatorum eorumque socii qui pro Christi Fide in Orientis regionibus martyrium passi sunt, in Beatorum numerum referuntur. Pontifex ad vesperum in Vaticanam basilicam novos Beatos veneraturus descendit.

— d. xx mens. Maii, SS. D. N. Pius PP. X Sanctorum honorem cultumque in Vaticana basilica sollemniter decernit Clementi Mariae Hofbauer e Congregatione SS. Redemptoris et Iosepho Oriol, sacerdoti Barcinonensi.

## ANNALES

### Turcarum res.

In superiore numero nunciavimus Abdul-Amid, Turcarum Caesarem, regno esse privatum, in eiusque locum Resciad Effendi, fratrem natu minorem, Mahometi V nomine suffectum; sed praestat hodie rerum successionem repetere.

Meminerint lectores publicorum legatorum coetum, S. Stephani ad urbem sponte congregatum, dignitatis spoliacionem contra Abdul illum decrevisse, exercitus partem ad Constantinopolim obsidemad profectam esse, quae quidem in eius ditionem venit,

quum tamen nulla depopulatio aut caedes perpetraretur, imo quies publica et exterorum defensio curaretur. Tum legati in urbem caput reversi et iterum congregati, sollemniter quoad ad S. Stephani conuentum, rata habuere. Caesaris suffectio satis tranquille processit: Abdulio Salonicum translato, Resciadi, vix Caesar declaratus, mentem suam tum fideliter constitutionem servandi publice aperuit, tum sese moribus occidentalium rerum accomodandi, dum factio quae « iuvenum Turcarum » nomine distinguatur, firmat auctoritatem suam capitisque iudicio sexcentos prope homines — milites, presbyteros diariorumque scriptores — ob recens « reactionis » molimen mulctat. At simul constitutionis lex recognoscitur, passimque mutatur eo praesertim consilio, ut Caesaris potestas immunitur; ratioque habetur de caedibus Adanae et Mersinae in urbibus contra Armenios admissis. Novus denique Caesar litteris recognitionis acceptis a caeteris Europae regibus iuramentoque de fideliter munere suo adimplendo coram populi legatis praestito suam regni assumptionem, ut ita dicamus, sicut agnivit, quam humanitati fructuosam ex animo omnianum.




### In Perside.

Persarum conditio et ipsa inter perturbationes versans, componi, pro tempore saltem, videtur. Rex enim inter duo mala seligere coactus, aut « nationalistarum » quae appellatur, factioni succumbere, vel exterorum adventum in imperio suo admittere, prium facile selegit. Itaque libertatis gubernium creavit publicumque coetum legibus ferendis Teheran in illam urbem concivit, unde abhinc menses undecim vi eiecerat. Haec tamen pluribus viris minime satisfaciunt, qui, Turcarum res pree oculis certe habentes, Caesarem regno pellendum esse contendunt. Interim Russi Tabris, Angli autem Abusir urbem occupant.



### Regum colloquia.

Has contra dissensiones ac simultates in centrali Europa reges civitatumque gubernatores inter se conveniunt pacis triumphos confirmaturi. Peculiari horum conventuum mentione is dignus est, quem Brundusii Germanorum Italorumque rex habuerunt, cuius quasi ad coronam accessit Vindobonense inter Guilelmum ipsum Germanorum et Franciscum Iosephum Austrorum Hungarorumque Caesarem colloquium; unde de triplici foedere quod dicitur an. MDCCCLXXXII inter Germaniam, Austriam et Italiām sancto, firmitas deducta ab omnibus est.



**PUBLICI PER ORBEM COETUS  
LEGIBUS FERENDIS**

In **Anglia** « Laboris officium » ad « Ministerii » gradum adiectum est.

In **Austria** rationes acceptorum et expensarum in examen vocatae.

In **Dania** publicorum legatorum coetus dimissus. Nova comitia ad diem xxv proximi mensis Iunii indirecta.

In **Hispania** grave inter administratorum praesidem et publicorum legatorum factionem quae ei obstitut de publicae pecuniae impendio discrimen producitur.

In **Italia** Giolitti, administratorum praeses, a socialistis plures acibus querimoniis petitus, maximis legatorum suffragiis est paelatus.

In **Lusitania** administratorum collegia unum post aliud renovantur.

In **Russia** res militaris agitata; vectigal iis impositum, qui militiae vacatione in posterum fruentur.

**PER ORBEM**

Die xxi mens. Aprilis M DCCCIX Carolus Stephanus, Austriacorum magnus Dux, Catanae appellat. Romae, annus MMDCLXII ab Urbe condita solenniter commemoratur.

— d. xxiv, Venetiis, pulchrorum ex gentibus omnibus artium VIII exposito aperitur.

— d. xxv, Niceae ad Varum, Leoni Gambetta, notissimo illi civili Gallorum viro monumentum dicatur.

— d. xxvi Neapoli mersabilis navis, cui *Foca* nomen, necopinato machinae incendio disrumpitur, nautes tredecim horribilem comparans mortem.

— d. xxvii Anglorum rex ac regina cum Russorum Caesaris matre Panormum privati tenent.

— d. xxviii Suetiae regina Venetiarum urbem visitatura petit.

— d. xxx Guilelma, Batavorum regina, filiolam fauste ac feliciter parturit.

Die i Mensis Maii, Pekini, Kuang-Tsi mortui imperatoris corpus magnifico funere ad sepulcra, quae occidentalia appellantur, defertur.

— d. ii, Lutetiae Parisiorum, tabulae Gallorum artificum, superiore anno pictae, publice proponuntur.

— d. iv, Londini, ab Anglica aeronautarum societe Wright fratres ob inventum a se aeroplano auro numismate decorantur.

— d. vii Bonearensis urbis in publica via incendiaria pila proicitur, quae viatores viginti graviter vulnerat.

— d. ix, Moscoviae, Gogoli centenaria sollemnia celebrantur.

Ambiani Iulii, Verne, scriptoris illius fecundissimi memoria lapideo monumento commendatur.

— d. x apud Genuam pyrogranae fabrica ex improviso incenditur aedes solo aequans, opifices decem in frusta redigens pluresque alios saucians.

— d. xii, Brundusii, Italiae rex et regina conveniunt cum Germanorum Caesare eiusque uxore, Vindobonam potentibus.

— d. xv in ferrea Alsatina via inter urbes Mulhouse et Colmar curruum series vapore acta in alteram occurrit, magna tum hominum tum rerum iactura.

— d. xvi, Romae, primus de Europaeo foedere constituendo habetur conventus.

— d. xviii Russorum Caesaris iussu Stoessel, militum praefectus, et Niebogatoff navarcha, post expletum de Iaponico bello iudicium SS. Petri et Pauli Petropolitana arce clausi, in libertatem restituuntur.

— d. xix, Londini, Georgius Meredith, milesiarum fabularum scriptor praeclarus, fato concedit.

**AENIGMATA**

I.

Me veteres Graeci, cum bella cruenta petebant,  
Votis consumerant rite vocare deum.  
Verte meum nomen; fio tutela fidelis  
Et clando valvas obsequiosa domus.

II.

Motu reddo pedes agiles et pectus anhelum,  
Pallantesque rubro spargo colore genas.  
Vertice me truncas? Proh! belua fio tremenda,  
Inque viatorem dente minace ruo.

F. P.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus I. B. FRANCESIA S. Benigni in Salassis his diebus editum, cui titulus:

TARCISIUS

ACTIO DRAMATICA VERSIS SENARIS CONSCRIPTA.

Aenigmata an. XII, n. III proposita his respondent:

- 1) **Numen, Motum, Monumentum;**
- 2) **Esse.**

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus — Ios. Martins, Philadelphia. — Rich. Brondel, Brugis. — Alf. Martinez, Badajocio. — Guil. Schmidt, Londino. — Rich. Müller, Berlino. — F. Arnori, Mediolano.

Sortitus est praemium:

PETRUS TERGESTINUS,  
ad quem missum est PETRU ANGELINI opus, quod inscribitur:

LOLLIUS  
SIVE DE PROVECTA LATINITATE.

[6] **AEGYPTII - CAROLI M. ROSINII Comoedia**

Recognovit I. F.

Praeter suillam compara ex cetario  
Piscem trilibrem, ex olitore oleris affatim.  
Praeterea caseum, castaneas, caricas,  
Nuces, uvam passam, et adorea bellaria.  
Stra. Hui, hui, hui! (1) illic actum est de hero meo.  
Ble. Quid ploras, furifer? (2) Stra. Vereor ne ista excidant  
Memoria, atque proin vapulem. Ble. Vapula (3) igitur [tene]  
Prius, dehinc plora. Stra. Hui, hui, hui! (4) Ble. Nunc  
Philippeos duos: fac summa adpareat,  
Et constet ratio, alioquin vae capitio tuo.  
Stra. Ne dubita. Vix oculis meis habeo fidem (5).  
Ble. Eamus intro, fili: pulchra ex me audies.

- (1) *Ironice plorat.*  
(2) *Irrascitur senex.*  
(3) *Agrediens cum baculo.*  
(4) *Iterum plorat.*  
(5) *Nummos respectans.*

EXPLICIT ACTUS I.

**ACTUS II.**

**SCENA I.**  
*Via ad Templum.*

**Chremes, Antisthenes, Iphricates.**

Chr. Nec dum miselli gnati aliquod vestigium  
Adpareat. Heu! frustra hoc iter confecimus.  
Ant. Ne tam cito, Chremes, sic animum despondeas:  
Huc certo indicio adnavigasse filium  
Cum Sannione adcepimus. An tibi obviam  
Sponte fieri debuit? Esto iam bono animo;  
Ne te ultra crucies; in portu te iam fore  
Confido. Chr. Frusta addis animos, Antisthenes.  
Infelix ego sum, et merito hercle meo;  
Namque mea asperitate domo abegi filium.  
Quis scit, ubi nunc versatur infelix puer?  
Quis scit num vivat adhuc, an alicubi iaceat  
Aegrotus? Ant. Quid sic tu male torqueris, Chremes?  
Chr. Nae ego durus, inhumans, inclemens pater (1),  
Qui tam male habui gnatum, adolescentem unicum.  
Heu, heu me orbum senem! heu miseros canos meos!

(1) *Secum queritur capillos discerpens.* (Pergit in pag. seq.)

**DESCLÉE ET SOCII - EDITORES PONTIFICII**

ROMAE — Piazza Grazioli, palazzo Doria — ROMAE

ANTONELLI Sac. JOSEPH

**Medicina Pastoralis in usum confessariorum  
et curiarum ecclesiasticarum**

Vol. I. — Summula anatomiae et physiologie humanae,  
cum 102 figuris et XVIII tabulis coloratis.

Vol. II. — Complectens: 1º Quaestiones physiologicas de  
Primo, Quinto et Sexto Decalogi praeceptis; 2º de Sa-  
cramentis Baptismi et Matrimonii; 3º de praeceptis Ec-  
clesiae super abstinentiam et ieunium, et 4º de iis, quae  
referuntur ad graviter aegrotantes, moribundos et mor-  
tuos.

Vol. III. — Complectens: Constitut. Bened. XIV « Dei mi-  
seratione » et istructiones SS. Congregationum Concilii  
et S. Officii in causis nullitatis Matrimonii rati et non  
consummati nec non tria specimina Causarum Matri-  
monialium.

Vol. IV. — Complectens: Editio tertia.  
3 vol. in-8 constant. pag. viii-256-590-208, ven. lib. 24.

P. SYXTUS O. C. R.

**Notiones archaeologiae christianaee  
disciplinis theologicis coordinatae**

Nuperrime prodit

Vol. II Pars Prima. **Epigraphy.**

Vol. in-8 constans pag. 395, ven. lib. 6.

BRUSCHELLI D. FELICE

**FAMIGLIA E SACERDOZIO**

OSSIA

LA MISSIONE SOCIALE DEL CELIBATO ECCLESIASTICO

Vol. in-12 constans pag. 200 et ultra, ven. lib. 2.

Iphi. Quid hoc negoti est? quid tu deploras senex?  
 Chr. Meum infortunium. Iphi. Dic, si quam iniuriam  
 Forte retuleris; te inultum esse diu non sinam.  
 Id munera est mei. Chr. Nemo laesit, bone.  
 Ipse ego fui hostis, carnufex gnato, et mihi.  
 Iphi. Malesanus est? an diris agitatur senex?  
 Ant. Dolore exsternatus miser est gnati ob fugam,  
 Quem frustra quaeritat dies iam quindecim.  
 Iphi. Tu es illi amicus, puto. Ant. Ita quidem. Iphi. Unde  
 [estis domo?]  
 Ant. Corintho. Iphi. Ecur inde hue usque in Boeotiam?  
 Ant. Quia navem ascendisse fugaces cognovimus:  
 Indicium porro nobis fecit navita,  
 Hoc in portu expositos fuisse iuvenculum  
 Cum socio, quos ambo adcuratissime  
 Describebat; namque illi comes est additus  
 Parasitaster, qui iuvenem seduxerat.  
 Iphi. Si id est, ne paveas, mi senex, ne lacruma,  
 Erit mei pensi ambos deprehendere:  
 Si huc adpulerem, non evadant aedepol.  
 Chr. Quod tibi nomen, sodes? Iphi. Iphicates vocor.  
 Chr. Quod manus exerces? Iphi. Demarchi praesto sum  
 Iussus. Chr. Iphicates, quoniam tam bono es animo,  
 Te per pietatem oro, atque obtistor (1), da mihi  
 Hanc operam, bone: si per te gnatum invenero,  
 Habebo te divorum praesentissimum.  
 Quidquid velis, dabo; quod libeat, postula.

(1) *Supplies manus protendit.*


Iphi. Pro bene facto, quod tibi videbitur, dabis.  
 Nunc tantum dic, qua facie, quo corpore  
 Habitum uterque sit, ut queam internoscere.  
 Ego curabo reliquum. Chr. Dic, Antisthenes (1).  
 Ant. Puer, qui vix explevit annos duodecim,  
 Iusta statura est, atque firma corpore,  
 Aduncus naso, ampla fronte, nigris crinibus,  
 Atque oculis, pallidulus genis imberibus.  
 Alter vero comes iuvenis tuam fere  
 Saturum exaequat, sed corpore subtilior,  
 Rotunda facie, rubicundus, nigra coma.  
 Tenes nunc? Iphi. Teneo. Omnem curam deponite,  
 Ac sinite me inquirere. Id enixe vos rogo:  
 Nemo vos videat: occulti estote omnibus,  
 Ne quid fugitiui de hoc adventu suboleant.  
 Chr. Utis. Ant. Dic, ubi possimus consistere  
 Tuti, atque occulti. Iphi. Quam recte autum quidem! (2)  
 Quod tibi nomen, sodes? Ant. Antisthenes vocor.  
 Iphi. Tuque, senex? Chr. Adpellor Chremes. Iphi. Iu-  
 [venculus?]  
 Ant. Charinus. Iphi. Et comes? Ant. Sannio. Iphi. Recedite  
 Hinc ergo recta ad macellum; divertite  
 Inde ad dexteram, ubi hospitium est cum pergula,  
 (1) *Ad Antisthenem se vertit.*  
 (2) *Risum adfectans.*  
 (Ad proximum numerum).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis, Phil. Cuggiani.

## HOROLOGIUM

ad Roskopfii rationem  
 in germanicis Officinis fabricatum



sociisque Commentarii Vox Urbis  
 qui subnotatores novos  
 acquisiverint duos  
 præmio constitutum



sociisque singulis Commentarii VOX URBIS dono concessum



CAESARIS TIRATELLI tabula  
 baptismalem pompam in Campania referens (metr. 0,60 × 0,40)  
 sociis omnibus qui novum unum acquisiverint  
 gratuito donatur.

## NUMISMA

iubente Consilio Centrali  
 ad  
 Pii PP. X Sacerd. Jubilaeum  
 celebrandum.

expresse descriptum et cusum

## PROSPECTUS SUBNOTATIONIS COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCCIX

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 6

ubique extra Italiam Libell. 9

(Doll. 1,80; Sh. 7; Mark. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

recto tramite mittendum

### ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis," possessorem et administratorem

ROMAM, Piazza del Gesù, 48

## Praemia sociis constituta:

### Ex subnotatoribus quisque

numisma, iubente Centrali Consilio ad  
 Pii X P. M. Jubilaeum Sacerdotale cele-

brandum expresse cusum et extra commercium habitum, dono accipiet.

**Novi subnotatores singuli** praeterea Vox Urbis kalendario fruentur,  
 quod socii, qui iam superioribus annis ha-  
 buerunt, obtinere simul poterunt, dummodo subnotationis pretio lib. 0,25 ad diritorii expensas  
 resarcendas addiderint.

**Qui socium novum acquisiverit unum,** eiusque subnotationis  
 pretium cum suo mi-  
 serit, gratis accipiet Caesaris Tiratelli tabulam metr. 0,60 × 0,40 a celeberrimo Urbano S. Mi-  
 chaelis hospitio splendide caelatam, baptismalem pompam in Campania referentem. — Ab hoc  
 tamen et sequentibus praemiis bibliopolae excipiuntur.

**Qui socios novos acquisiverit duos** ut supra, horologium sibi  
 officinis ad Roskopfii rationem nobis fabricatum.

**Qui socios novos acquisiverit tres** eorumque subnotationis pre-  
 tium miserit, a pretio suo  
 solvendo eximetur.

**Qui socios novos viginti quinque coegerit** ante Iulium  
 mensem, di-  
 midiatum pretium itineris habebit ab Italiae finibus Romam usque, atque inde in dissectionis  
 Italica stationem, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

**Qui socios novos coegerit quinquaginta,** ut supra, eodem  
 itinere gratis om-  
 nino gaudebit.

Franciscus Ciapponi et Soc.

OFFICINA  
ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE  
CAELANDIS  
PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS  
PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

Diligentia in opere.

Temperantia in pretio.

ROMAE, Via Sistina, 129

Diversorium magnum, cui a Minerva nomen (<sup>Grand Hôtel</sup>  
<sup>de la Minerve</sup>)

ROMAE, Piazza della Minerva

Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum et commodis omnibus instructum.

Sacellum pro Sacerdotibus ad sacra litanda

LEOPULDUS SCOTTI, moderator.

SUPELLEX  
AD RES DIVINAS

Commentarii Vox Urbis administratio recto tramite suppeditat suppellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad Vocis Urbis administratorem (Romam, Piazza del Gesù, 48) mittantur, res praecise indicando quas quisque sibi cupit.

Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

Gulielmus Gaudenzi

ROMAE

Tor Sanguina, 2-3 - Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulchrarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatus possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, ante solvendum, est:

In Italia: Libellarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1.80; Sh. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMAM - Piazza del Gesù, 48 - ROMAM



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA  
apud  
Librairie Gamber

Paris  
Rue Danton.

IN ANGLIA  
apud  
Burns and Oates

London W.  
28, Orchard Street.

IN RUSSIA  
Varsaviae Polonorum  
apud  
Gebethner et Wolf

Rakowskie Przedmiescie, 15.  
Krakowskie Przedmiescie, 6.

IN CANADA  
apud  
Librairie Granger Frères

Montreal  
1609, Rue Notre-Dame.